

quo a te opes non abdicas, sed tuis quasi asser-  
vandas tradis : quare sic sæculum non relin-  
quis, sed illi te magis immergis. Excipe, nisi  
cognati pro sua conditione et statu iis indigeant;  
tunc enim in suo gradu censentur pauperes. Sed  
« da pauperibus, » a quibus nil retributionis ex-  
pectas, sed a solo Deo : quare hic est actus purus  
elemosynæ, æque ac paupertatis et abdicationis  
opum. Addit Origenes : Qui pauperibus, inquit,  
tradidit bona sua, ipsorum orationibus adju-  
vatur. Quocirea S. Hieronymus, S. Paulino, postea  
Nolæ episcopo, sæculo renuntiare volenti ita  
præcipit, *epist.* 13 : « Tu considera, ne Christi  
substantiam imprudenter effundas, id est, ne  
immoderato iudicio rem pauperum tribuas non  
pauperibus, et secundum dictum prudentissimi  
viri, liberalitate pereat. Noli respicere ad phale-  
ras, et nomina vana Cætonum. Quid tibi cum  
splendore familiaris, qui sæculi pompis renun-  
tiasti? »

ET HABEBIS THESAURUM IN COELO. — « In the-  
sauro, ait S. Chrysostomus, copia et perma-  
nentia retributionis ostenditur. » Et S. Hilarius :  
« Jactura substantiæ terrene, ait, cælorum  
opes emuntur. » Præclare S. Augustinus, in  
serm. 28 *De Verbis Apostoli* : « Felicitas, inquit,  
magna Christianorum, quibus datum est, ut  
paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non  
tibi displicet paupertas tua : nihil ea potest  
ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sis?  
cælum emit. Quibus thesauris conferri possit  
quod videmus paupertati indultum? Ut ad reg-  
num cælorum veniret dives possessione sua ob-  
tinere non potest, tunc obtinet ut contempta  
perveniat. » Vnde ergo cœnum, et eme cælum;  
da obolus, et compara thesaurum.

ET VENI, SEQUERE ME. — in paupertate pe-  
grinantes et evangelizantem regnum Dei :  
« Multi enim, ait S. Hieronymus, etiam divites  
relinquentes Dominum non sequuntur, nec hoc  
ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas  
divitias Salvatorem sequantur, id est, relictis  
malis, faciant bona. Facilius enim sæculus con-  
temnitur, quam voluit. Et ideo sequitur : Et  
veni, sequere me. » Idem S. Hieronymus *ad  
Rusticum* : « Christum nudum, inquit, nudus  
sequere. » Rursum « sequere me, » ut vitam acti-  
vum jungas contemplativa. Triplex enim est vite  
sanctæ genus : primum et imum est vita activa;  
secundum est vita contemplativa; tertium et per-  
fectissimum est jungere actionem contemplationi,  
ut quod in contemplatione a Deo hausimus, id  
deinde doceamus alios. Talem enim vitam egit  
Christus et Apostoli. Ita S. Thomas, II *II p.*, *Quæst.*  
CLXXXVI, art. 6. Causam dat S. Ambrosius in  
explicatione tituli *Psal.* XXXVIII : « Christus, inquit,  
est finis omnium quæ pia mente deprecimus.  
Sive enim sapientiam quæras, sive virtuti studeas,  
sive veritati, sive viæ atque justitiæ, sive resur-  
rectioni, in omnibus tibi sequendus est Christus,

qui est virtus Dei atque sapientia, veritas, viâ,  
justitia, resurrectio. Ad quem igitur contendas, nisi  
ad perfectionem omnium summamque virtutem? »  
Et ideo tibi dicit: Veni, sequere me, hoc est, ut ad  
consummationem virtutum pervenire merearis.  
Ergo qui sequitur Christum, ipsum pro possi-  
bilitate sua debet imitari, ut præcepta ejus se-  
cum ipse meditetur et divinorum exempla fac-  
rum. »

Nota, hoc capite Christus proponit tria præ-  
cipua consilia Evangelica, scilicet celibatus et  
continentiæ, vers. 12, paupertatis, vers. 21, dicens :  
« Vende quæ habes, et da pauperibus; » obe-  
dientiæ, cum ait : « Sequere me, » id est mihi  
meoque instituto obedi teque accomoda, ac  
meam obedientiam ad mortem usque imitare.

22. CUM ADUISSET AUTEM ADOLESCENS VERBUM, ABIT  
TRISTIS : ERAT ENIM HABENS MULTAS POSSESSIONES.  
— Sapienter S. Augustinus, *epist.* 43 *ad Paulinum et  
Terentium* : « Nescio, ait, quomodo cum superflua  
terrena diliguntur, arcibus adeptæ, quam conce-  
pitia constringunt. Nam unde juvenis iste tristis  
discessit, nisi quia magnas habebat divitias? Aliud  
est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud jam  
incorporata divellere. Illa enim velut extranea  
repudiatur : ista velut membra præcedunt. »  
Porro, in Evangelio S. Matthæi secundum Hebræos,  
quod citat Origenes, plura hic adduntur : sic enim  
habet : « Dixit ad eum alter divitium : Magister,  
quid bonum faciens vivam? Dixit ei : Homo, leges  
et prophetas feci. Respondit ad eum : Feci. Dixit  
ei : Vade, vende omnia quæ possides, et divide  
pauperibus, et veni, sequere me. Cœpit autem  
dives scalpere caput suum, et non placuit ei. Et  
dixit ad eum Dominus : Quomodo dicis, legem  
feci et prophetas? quoniam scriptum est in lego :  
Diliges proximum tuum sicut teipsum, et ecce  
multi fratres tui filii Abrahæ amici sunt stercore,  
morientes præ fame, et domus tua plena est  
multis bonis, et non egreditur ex ea omnino al-  
quid ad eos. Et conversus, dixit Simoni discipulo  
suo sedenti apud se : Simon, fili Jona, facilius  
est camelum intrare per foramen acus, quam di-  
vitem in regnum cælorum. »

23. JESUS AUTEM (occasione accepta ex tristitia  
adolescentis divitis) DIXIT DISCIPULIS SUI : AMEN  
DICO VOBIS : QUIA DIVES DIFFICILE INTRABIT IN  
REGNUM COELORUM; — tum quia cupidus divitiarum  
facit eas concervari per fas et nefas; tum quia  
eandem ita mentem auro alligat, ut nequeat cogi-  
tare de celo; tum quia divitiæ sunt materia et  
stimulus ad superbiam, gulam, luxuriam om-  
niaque scelera, juxta illud :

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Audi S. Augustinum, serm. 28 *De Verbis  
Apostoli* : « Aurum, quod præcipua perquirunt,  
quod avaritia cupit, quod sollicitudo custodit;  
aurum materia laborum, periculosa res possi-  
dentium; aurum enervatio virtutum, aurum

malus dominus, proditor servus, etc.; aurum,  
quod in perniciem domini fulget; aurum, cujus  
inquisitio damnatos habet, cujus amor Judam  
fecit, etc. Denique avaritia est idolorum servitus,  
*Coloss.* cap. III. Paupertas ergo opumque con-  
temptus pandit cælum, quod opulentia et cupi-  
ditas occludunt.

24. ET ITERUM DICO VOBIS, FACILIUS EST CAME-  
LUM PER FORAMEN ACUS (Arabicus : *Ingressio ca-  
luc.*  
luc. 25.  
mar. 1.  
25.  
DIVITEM INTRARE IN REGNUM COELORUM. — « Et iterum, »  
Græce *καὶ ἔτι*, id est iterum autem. Christus enim  
adaugendo quasi corrigit id quod dixit, q. d.  
Dixi, difficile esse divitem salvari, nunc addo,  
quod amplius est, facilius esse camelum per fo-  
ramen acus transire, quam divitem in cælum in-  
trare. Per divitem » Remigius accipit confidentem  
in divitiis, qui in iis omnem spem suam collocat,  
quod multi divites faciunt. Simplicius tamen  
quemlibet divitem accipias (1).

Quæres quis sit hic camelus, et quomodo pos-  
sit per foramen acus transire? Aliqui apud  
Theophylactum in græco per camelum intelligunt  
funem nauticum, qui græce dicitur *καρπός*, id  
est camelus. Alii cum Glossa intelligunt portam  
Hierosolymitanam, quæ, quia erat valde humilis  
et demissa, dicta sit camelus, eo quod ingredienti  
per eam opus fuerit sese demittere et curvare  
instar cameli.

Verum dico intelligi hoc animal gibbosum et  
altum, quod vulgo camelus dicitur. Ita Syrus,  
Arabicus, Origenes, S. Hilarius, Hieronymus,  
Chrysostomus et alii passim. Ubi nota apud Ju-  
deos hoc fuisse proverbium, ut volentes signifi-  
care rem esse impossibilem, dicerent : Facilius  
transibit camelus per foramen acus, quam ista  
res fiat. Unde hoc proverbio utuntur etiam  
Thaludistæ, teste Ganino in *Nom. Hebr. novi  
Testamenti* (2). Similia proverbialia rem  
esse impossibilem sunt hæc : facilius testudo le-  
porum præverterit : prius lupus ovem ducat  
uxorem : citius locusta bovem pariet : aquilam  
testudo vincet : terra volat : sursum flumina :  
citius elephantem sub ala celes : prius sine pennis  
volabis : scarabeus citius faciet mel : prius cœ-  
lum ruat : mare facilius vitem tulerit, salsedo  
enim frugibus adversa est, sed vitibus inimici-  
sima : citius mulieris verba deerunt : facilius  
ventos pasces.

Porro hic est hyperbole; impossibile enim di-  
citur id quod est valde difficile : unde divitem

(1) Notat hic Dr Sepp, in *Vita Jesu Christi*, divitem  
sive in veteri, sive in novo Testamento idem sæpe signifi-  
care atque impium. (Conf. *Psalm.* LXX, *Psalm.* LXX, 9;  
*Amos* VI, 1; *Luc.* VI, 24; *I Timoth.* VI, 17, et *Jacob.* I, 10.)

(2) Proverbium hæc similitudinem et suavissimum  
legitur in libro Rabinorum, cui titulus : *Midrash scilicet  
Herschim* : « Apert mihi, ait Dominus Deus, peni-  
tentem ostium ad minus ut foramen acus, et ita tibi  
penitentem ostium misericordie, ut illud quadriga vectus  
antire queas. »

salvari, quod hic Christus ait esse impossibile,  
versu præcedenti dixit esse difficile. Ita S. Hiero-  
nymus : « *Psalm.* LXVI, impossibilitas præfere-  
nditur, sed raritas demonstratur. » Ita quoque Jan-  
senius, Malanonus et alii. Sic, vers. 12, dixit : « Qui  
potest capere, capiat, » significans nonnullos  
non posse capere, id est difficile capere con-  
siliū celibatus. Et Jeremias, XII, 23, ait : « Si  
mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus  
varietates suas; et vos poteritis benefacere, cum  
didiceritis malum, » et tamen hoc fieri potest, sed  
ægre et difficulter. Sic impossibile, id est difficile  
est divitem salvari, æque ac camelum per for-  
amen acus transire : absolute tamen id fieri po-  
test, si, v. g., camelus in minutissimas partes et  
quasi atomos concidatur, quorum singuli per  
foramen acus sensim, sed lente et opere traduc-  
cantur; aut si acus quepiam fiat tam magna et  
crassa, ut si instar turris et pyramidis; tunc enim  
foramea in ea tantum fieri potest, ut per illud  
transeat integer camelus. Denique Emmanuel Sa-  
foramen acus exponit, quod habet acus, aut  
quod facit acus; potest enim ipsa sensim facere  
ingens et magnum foramen.

Rursum impossibile hic proprie capias; nam  
divitem salvari impossibile est apud homines,  
Deo autem est possibile, ut ait Christus, vers. 25,  
quia scilicet id viribus nature est impossibile,  
sed viribus gratiæ a Deo datis est possibile, æque  
ac camelum per foramen acus transire; hoc enim  
Deo esse possibile patet ex simili, scilicet ex  
quantitate corporis Christi, quæ in Eucharistia est  
tota in parva hostia, imo in quolibet ejus puncto :  
si enim Deus potest corpus Christi totum ponere  
in puncto hostiæ consecratæ; ergo potest camelum  
per foramen acus traducere. Illustratur id  
exemplo circuli; nam a quolibet circuli puncto  
possunt linee rectæ et diametres duci ad cen-  
trum, sive medium circuli punctum. Centrum  
igitur continet in se, et terminando excipit omnes  
hæc linee : ergo ipsum solum respondet, et  
quasi æquatur omnibus circuli punctis, a quibus  
lineæ ducuntur ad centrum; et consequenter  
respondet, et quasi æquatur ipsi toti circulo  
ejusque peripheriæ : simili enim modo punctum  
hostiæ in Eucharistia capit omnes líneas corporis  
Christi, omnemque ejus quantitatem et periph-  
eriam.

Apposite vero et eleganter, ait Franciscus Lucas,  
dives turgens ac tumens opibus, cujus dorso  
longe lætæque divitiarum arcum incumbunt,  
quæ frequenter oneri sunt ipsi magis quam usui,  
ut quas hajulet aliis potius quam sibi, camelo  
comparatur; et angusta porta, qua intratur ad  
vitam, foraminis acus, ut intelligas eos quibus  
divitiæ affluunt, superbia fastuque magis turgere,  
quam ut se ad angustias, in quibus Deus continet  
suos, redigi sinant. Plures etiam modi et divitis ana-  
logias recensuit *Ezech.* XII, 11.

Hæc ergo cameli et acus similitudine significat

Camelus  
per for-  
amen acus  
transire  
potest.  
Quomo-  
do?

hristus, opes diviti non tam commodo esse, quam oneri et impediendo ad virtutem et ad regnum colorum; quare sapienter se adolescenti consilium dedisse, ut eis daret pauperibus, et se pauperem pauper sequeretur. Hinc.

Mysticæ: camelos, id est divites hosce opibus timidos et superbos, per gratiam Christi deposito superbie gibbo, ingressuros in Ecclesiam quasi per foramen acus, id est per angustias humilitatis et legis Evangelicæ, prædixit Isaias, LX, 6, dicens: « Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Ephra. » Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Procopius ibidem. Audi S. Hieronymum: « Talis fuit sancte memorie mater tua, Paula, fraterque Pammachius, qui per foramen acus, id est arcem angustamque viam, quæ ducit ad vitam, transierunt, latamque viam cum sarcinis relinquentes, quæ ducit ad tartarum, quidquid habebant, in Domini dona portarunt, implentes illud: Redemptio viri proprie divitiæ; quæ enim apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt. »

Allegoricæ: S. Augustinus, lib. II *Quest. Evang.*, cap. XLVII, et S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.*, cap. XVII, per camelum accipiunt Christum; per acm, passionem, q. d. Facilius est Christum pati pro dilectoribus sæculi, quam dilectores sæculi ad Christum posse converti. Audi S. Gregorium: « Camelus per foramen acus transit, cum Redemptor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit, quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit: facilius autem camelus foramen acus, quam dives regnum colorum ingreditur, quia nisi ipse prius per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem superba nostra rigiditas inclinaret. »

Symbolicæ et analogicæ: Auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, *homil.* 33: « Gentium animæ, inquit, assimilatae sunt tortuosæ camelis, in quibus erat gibbus idololatricæ: quia cognitio Dei erectio est animarum. Acus autem est Filius Dei, cuius prima pars subtilis est secundum divinitatem, alia vero crassior secundum incarnationem ejus. Tota autem recta est, et nullam habet deflexionem, per cuius vulnus passionis Gentes ingressæ sunt in vitam æternam. Hac acus consuta est immortalitatis tunica; ipsa est acus, quæ spiritui consuit carnem. Hæc acus Judaicum populum junxit et Gentium; hæc acus amicitiam Angelorum et hominum copulavit. Facilius est ergo Gentiles transire per foramen acus, quam divites Judæos intrare in regnum colorum. »

23. AUDITIS AUTEM HIS, DISCIPULI MIRABANTUR VALDE, DICENTES: QUIS ERGO POTERIT SALVUS ESSE? — Quia pauci, et vix ulli tunc erant, qui non euperent esse divites: omnes enim inhiabant lucrò, uti et nunc multo inhiant. Nam, ut ait S. Augustinus in *Quest. Evang.* hic: « Omnes qui divitiæ cupiunt, in divitum numero habentur. »

26. ASPICIENS AUTEM JESUS, DIXIT ILLIS: APUD HOMINES HOC IMPOSSIBILE EST, APUD DEUM AUTEM OMNIA POSSIBILIA SUNT, — imò facilia. Græcè, ἐπιδησία, id est intuitus; addit Syrus eos, scilicet discipulos, q. d. Jesus benigno suo intuitu aspiciens Apostolos, timidam et anxiam discipulorum mentem mitigavit et pacavit: ita Chrysostomus. « Apud homines, » q. d. Humanis naturæ viribus impossibile est diviti, opibus suis intricato, salutem consequi, eo quod salus hæc sit beatitudo supernaturalis, quam proinde sine similibus supernaturalibus gratiæ viribus consequi non possumus. Deo autem omnia possibilia sunt, quia Deus est auctor et fons uti nature, sic et gratiæ ac gloriæ, facitque ut per gratiam omnes naturæ difficultates et remoras genese et facile superemus, ac quod ad rem presentem pertinet, facit ut divites divitiis suis non afficiantur, hisque recte utantur, imò ut non pauci his relictis ambient et sequantur Evangelicam Christi paupertatem: hoc enim fecere primi omnes Christiani, quia omnia habebant communia, ut patet *Actor.* IV, 32.

27. TUNC RESPONDENS PETRUS, DIXIT EI: ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA, ET SECTI SUMUS TE: QUID ERGO ERIT NOBIS? — Arabicus: *Quid ergo prope est ut sit nobis?* « Quid, » scilicet præmii in celo, et gloriæ in vita æterna. Petrus sequens consilium paupertatis Christi, quod adolecens speraverat, animosior factus animat Apostolos, quod ipsi fere soli secuti sint consilium paupertatis datum a Christo; ac, ut magis eos exhilaret, rogat, quæ et quanta eum cæterosque Apostolos Christum pauperem sequentes in evangelizando regno colorum, merces et gloria in eo maneant, ut in proposito sancto se et socios confirmet, promoveat et accendat.

RELIQUIMUS OMNIA, — quæ habebamus, scilicet navim et retia, quibus piscando victum querebamus, quæ, licet in se pauca et parva forent, tamen, ut ait S. Gregorius, *homil.* 5 in *Evang.*, et ex eo S. Bernardus, tract. in hæc Christi verba: « Multum deseruit, qui voluntatem habendi dereliquit: a sequentibus Christum tanta relicta sunt, quanta a non sequentibus desiderari poterunt. » Pauper enim spiritu, licet cænsu sit inopi, tamen sensu est dives, quia amore Christi omnia quæ habere, sperare et consequi possit per omnem vitam in mundo, imò totum mundum et omnia que in eo sunt, reliquit, ut totum cor tradat Deo, qui est actus hereticus paupertatis, æque ac charitatis et religionis, quia homo se totum Deo in holocaustum offert, imò fit ipse animalium et iuge Dei holocaustum.

Audi S. Augustinum in *Psal.* ciii, conc. 3: « Petrus non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis autem pauper non turgescit in spe sæculi hujus? quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisæ est. Ibat in immensum, accipit modum; et nihil dimissum est? Prorsus totum

mandum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes, et omnia possidentes. »

28. JESUS AUTEM DIXIT ILLIS: AMEN DICO VOBIS, QUOD VOS QUI SECTI ESTIS ME, IN REGENERATIONE, CUM SEDEBIT FILIUS HOMINIS IN SEDE MAJESTATIS SUÆ, SEDEBITIS ET VOS SUPER SEDES DUODECIM, JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL. — « In regeneratione, » id est in baptismo: hic enim est regeneratio spiritualis, quo morientes peccatis, nascimur vitæ spirituali, coelesti et divinæ. Ita S. Hilarius; q. d. Vos, qui secuti estis me per regenerationem baptismi, sedebitis mecum quasi iudices duodecim tribuum Israel. Verum omnes alii passim per regenerationem accipiunt resurrectionem communem futuram in die judicii: hanc enim, quia corporis totiusque hominis, æque ac mundi erit renovatio, et quasi secunda ad gloriam generatio, hinc recte hic et alibi regeneratio vocatur. Unde Syrus vertit, in *sæculo novo*: Arabicus, in *generatione ventura*; tunc enim erit novum celum et nova terra, *Isaia* LXV, 17; *Apocat.* XXI, 1, et *II Petri* III, 13.

CUM SEDEBIT FILIUS HOMINIS IN SEDE MAJESTATIS SUÆ. — Arabicus, *gloriæ suæ*. S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius per sessionem centesent significat potestatem judicariam. Judicium enim est sedere, ut sedate et tranquille, sine perturbatione et precipitatione judicent. Hoc verum est, sed insuper et « sedebit » et « sedebitis, » significat proprie Christum in judicio sessurum, et cum eo Apostolos eorumque similes, idque in thronis nubium aereis et splendidissimis, sed quemque juxta suum meritum et dignitatem. Unde sacra Scriptura passim Christo judicaturæ sedem et sessionem tribuit; sessio enim est communis apud omnes gentes, et quasi naturalis judicium situs. Ita Maldonatus, licet id neget Jansenius et nonnulli, qui censent corporis gloriosi, quæ habet Christus, proprium situm esse stare potius quam sedere. Verum uterque hic glorioso compellit, scilicet stare ad pugnandum, et sedere ad judicandum.

SEDEBITIS ET VOS SUPER SEDES DUODECIM. — Richardus de S. Victore, tract. *De Potestate judicaria*, Maldonatus et nonnulli alii putant hæc a Christo solum promitti duodecim Apostolis, quia illi primi fuerunt Christi asceclæ, q. d. Quisque vestrum duodecim suum sedem in judicio habebit, etiam cum Christos, si in sua vocatione persistat. Verum melius alii passim censent hæc promitti etiam Apostolorum sequacibus et posteris, puta Religiosis, qui omnia relinquentes, Christum et Apostolos regnum Dei evangelizantes proxime sequuntur. Ponitur ergo hic numerus definitus pro indefinito, scilicet duodecim pro omnibus; Christus enim loquitur duodecim Apostolis, sed ita ut in eis eorum assecias alloquatur: qui enim parum suscipiunt cum Apostolis laborem, parum cum eis merentur honorem. Christus ergo sedes

hæc judicariæ promittit his qui relinquant omnia, et ipsam evangelizantem sequuntur. Hæc autem faciunt Religiosi, presertim qui animarum lucrò se dedicant. Unde S. Bernardus, sermone *De Ingrat.*: « Apostolicam, ait, omnes nos vitam professi sumus. » Hinc Nazianzenus, oratione 1 in *Julianum*, ostendit monachorum esse sedere super thronos. Odem disertò docent Origenes hic, tract. 8; S. Augustinus, lib. XX *Civit.*, cap. 1; Cyrillus in cap. LX *Isaia*; S. Hieronymus, *epist.* 28; S. Gregorius, lib. X *Moral.*, cap. XVII; S. Anselmus, *epist.* 40; Abulensis hic, *Quæst.* CCV; S. Bernardus in illud: « Ecce nos reliquimus omnia. » Probat id S. Augustinus, in *Psal.* LXXXVI: « Nam si duodecim tantum sella ibi future sunt, non erit ubi sedeat tertius decimus Paulus Apostolus; et non erit quomodo judicet, qui tamen judicaturus se dixit non homines modo, sed et Angelos. Non solum ergo, inquit, illi duodecim et Apostolos Paulus, sed quotquot judicaturi sunt, propter significationem universalitatis ad sedes duodecim pertinent. » Et S. Bernardus, serm. *De S. Benedicto*: « Justa prorsus, inquit, retributio, ut qui hic pro Christo humanæ gloriæ celsitudinis neglexerunt, illic a Christo iudices gloriosissimi singulariter cum eo assident. Nemo autem putat: duodecim tantum apostolos, quia pro Juda prævaricante, Mathias electus est, tunc esse judicaturus, sicut nec duodecim sole sunt tribus Israel judicandæ, alioquin quæ tertia decima est, in judicio recedet; et Paulus, qui tertius decimus est Apostolus, judicandi sorte privabitur, cum ipse dicat: Nescitis, quia Angelos judicabimus? Scendum namque est omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse judicandum: quia enim duodenario sæpe numero solet in Scripturis universitas designari, per duodecim sedes Apostolorum omnium universitas judicantium, et per duodecim tribus Israel universitas eorum qui judicandi sunt, ostenditur. » Idem fusc demonstrat S. Thomas, tract. *Contra retrahentes a Religione*, cap. VI et VII, ubi docet hæc sessionem promissam esse paupertati Evangelicæ, indeque evincit, quam sublimis gratiaque Deo sit hæc paupertas, utpote quæ præ aliis virtutibus hoc judicariæ potestatis culmen et thronum mereatur. Causam dat S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.*, XX, ubi interpretans illud *Job*, XXXVI: *Judicium pauperibus tribuit*: « Quia, inquit, quantum hinc mundo magis humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis eisdem majore culmine potestatis exerescunt. » Dignum enim est primo, ut Religiosi, qui superiores mundo vixerunt, do mundo judicent; secundo, ut qui in mundo quasi aquilæ aspectu celestium honorum et respectu terrestrium cæteros transcendunt, cæterorum sint iudices et principes; tertio, ut qui doctorum fuerunt mundi, mundum examinent et judicent,

Non eo  
li Apo-  
toli juo-  
erunt  
em  
Christo.

Sed et  
Religiosi  
Apostoli-  
ci.

an juxta hanc suam doctrinam vixerit; quarto, ut qui fati jui hanc sunt a mundo, mundum fatum judicent, eumque fatuitatis arguant et con- fitement, Sop. v, 4.

Quocirca merito hanc excellentiam admi- rans exclamat S. Bernardus, serm. 8 in Psal. Qui habitat : « O familiaritatis gratiam, o honoris culmen, o fiducia privilegium, o prerogativam securitatis perfecte? Quid enim tam pavendum, quid tam plezum anxietatis et vehementissimam sollicitudinis excogitari potest, quam judican- dum adstare illi tam terrifico tribunali, et incertam adhuc expectare sub tam districto judicio sententiam. » Et mox : « Felix plane, que tam securos, imo gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. »

Porro, gloriosa hanc sessio judiciaria coram toto mundo, imo de toto mundo a Christo promittitur singulis illis qui, relicti omnibus, Christum pau- perem pauperes ferventi et perfecta (ita S. Augus- tinus et Gregorius jam citati : unde ex eis S. An- tonius et Francisus Suarez, III part., Quest. LIX, disp. LVII, sect. 4, negant hoc premium dandum Religiosis imperfectis, sed tantum perfectis, idque merito imitatione sancti fuerint, ejusque Evan- gelium et regnum propagarint. Cum enim, ut ait S. Bernardus in illud : *Ecce nos reliquimus* ubi, « in paupertate dno insistit incommoda, prima humilitas et... deinde etiam mul- torum laborum persequitur... meritum hoc esse a Domino institutum, ut pro laboribus ses- sio, pro contemptu ceisitudo tante potestatis redderetur. »

Vox ergo « sedebitis » significat primo, paupe- m Evangelicorum securitatem; secundo, minus dicandi; tertio, dignitatem et eminentiam pre- teris; quarto, locum Christo proximum, sum- amque cum eo conjunctionem; quinto, prin- cipatum gratie, felicitatis et glorie, utpote qui quasi principes regni colorum jus habeant judi- candi ceteros, ac dignos in illud admittendi, et audignos ab eo excludendi.

Tropologicæ : Auctor *imperfecti* per hanc sessio- nem et potestatem judicariam censet promitti iis qui relinquunt omnia, et sequuntur Christum, dominum cordium, ut scilicet dominentur cor- dibus mentibusque hominum, in iisque collo- cent thronum et regnum Christi, in quo ipsi sedeant, ut quasi reges cordibus hominum im- perent, illaque per omnia faciant obsequentia Christo. Unde Apostoli et viri Apostolici, relin- quentes omnia, quales fuerit viri religiosi et mo- nachi, amore Dei flagrantes, converterunt orbem, un fusc ostendit Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status religiosi*, cap. xxx : « Quicumque enim, ait Auctor *Imperfecti*, Christum credendo (et perfecte imitando) in se suscipiunt, sedes sunt majestatis ejus. » Et : « Quicumque suscepit ver- bum Petri, illi thronus Petri, et Petrus sedet in eo. »

JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL. — « Judi- cantes, » non tantum colla. ne vestri cum impiis, ut exponit S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius et eleganter Auctor *Imperfecti*, quomodo regina Austri et Ninivite dicuntur in die judicii condemnaturi Judæos, scilicet suo facto et exem- plo, eo quod, predicante Jona, penitentiam ege- runt, cum Judæi, predicante Christo, penitere noluerint, *Matth. XII, 40 et 41.* Nec etiam approbatione sententia Christi duntaxat, quomodo om- nes sancti judicabunt : approbabit enim justam Christi in pios, æque ac impios de celo et in- ferno sententiam; sed nullo honorificentius et gloriosius, quasi regni coelestis primores et prin- cipes, doctores et iudices, et quasi assessores Christi judicis cum eo in suis thronis consistentes, sicut Cardinales cum Papa, proprie judicabunt, et sententiam ferent eandem quam Christus, qua probos celo, improbos inferno, adjudicabunt, arguentes et increpantes eos qui suam doctrinam vitæque sancte exemplum neglexerint, et pro- bantes laudantesque eos qui utrumque coluerint, et imitando expresserint. Mos enim decet hae judicii aureola. Ita Jansenius, Maldonatus, Sna- rez et alii.

DUODECIM TRIBUS ISRAEL. — Non quasi Apostoli virique Apostolici in die judicii judicaturi sint solos Judæos, ut exponunt Theophylactus et Euthymius; sed quod, sub duodecim tribubus, omnes gentes intelligat.

Ubi nota, duodecim dici tribus Israel : licet enim tribus Joseph bipartita esset, ac divisa in Ephraim et Manasse, duos Josephi filios, utpote quos sibi in filios adoptavit, ceterisque suis filijs in successione et hereditate æquavit Jacob, com- muni omnium tribuum pater (ipse enim genit duodecim filios, quorum quisque cum posteris ex se prognatis unam constituit tribum, unde om- nes simul junctæ sunt duodecim), *Genes. XLVIII, 16*, ac consequenter juxta hunc computum tribus Levi esset non duodecima, sed decima tertia; tamen ad ipsam primam tribum originem refer- piendo, scilicet ad duodecim Patriarchas, Jacobi filios, non nisi duodecim erant tribus; quia lo- tidem erant Patriarchæ, sive Jacobi filii.

Nota secundo, has duodecim tribus dici Israel, quia ab Israele, id est Jacob patriarcha, per duo- decim ejus filios sunt prognate et propagatæ. Porro, hæc duodecim tribus olim erant populus fidelis et electus, puta Ecclesia Dei, etiam tempore Christi, imo hoc erat regnum Israel Messie promissum : unde gentes, que Christo sederunt, in hanc Ecclesiam et populum Judæorum, puta in duode- cim tribus Israelis, quasi insertæ sunt, et quasi civitate donatæ, ut non jam Gentes, sed Judæi, id est confitentes credentesque; ac Israelite, id est dominantes Deo, appellentur, ut docet Apo- stolus, *Rom. II, 17 et seq.* Hinc S. Joannes, *Apoc. XXI, 12*, in portis coelestis Jerusalem, ait se videre inscripta nomina duodecim tribuum Israel. Un-

Quomo- do jussu- cabunt- cum- Christi-

An cum- de- senten- tiam fer- rant?

An in Is- rael duo- decim tri- bus?

nes ergo Christiani omniun gentium in duode- cim tribus Israelis jam dictas divisi et distributi sunt, ut alii censentur esse de tribu Juda, alii de tribu Joseph, alii de tribu Levi, etc., secundum diversitates animarum et virtutum : ad Juda enim pertinent magistratus, reges et principes; ex Juda enim nati sunt reges et principes Israelis, juxta oraculum Jacob, *Genes. XLIX, 10.* Ad Joseph pertinent virgines, casti et celibes; talis enim fuit Joseph ante principatum Ægypti. Ad Levi pertinent sacerdotes, diaconi, religiosi; tales enim erant Levitæ, et sic de ceteris.

Nota tertio : Gentes infideles proprie non per- tinent ad duodecim tribus Israel, utpote fideles : quare tacite hac infidelium omissione hic signifi- catur, ipsos in die judicii non fore judicandos; quia : « Qui non credit, jam judicatus est, » *Joan. III, 18*; quod intellige de judicio dubii exa- minis, hoc enim solo judicabuntur fideles : de his enim dubium esse potest, an sint damandi, an salvandi, quod dubium resolvitur et examine operum eisqueque : nam alioqui infideles quosque in die judicii comparituros, et similiter judicandos esse, ac cuique pro demeritis majorem vel mi- nozem in gehenna penam decernendam esse, apud omnes in confesso est, et patet ex *Joelis III, 2*, et *Matth. XXV, 32*.

VEN. 28. Luc. XVII. 29. 29. Mar. 8. 29. 30.

29. ET OMNIS, QUI RELIQUERIT DOMUM, VEL FRATRES, AUT SORORES, AUT PATREM, AUT MATREM, AUT UXOREM, AUT FILIOS, AUT AGROS, PROPTER NOMEN MEUM, CENTUPLUM ACCIPIET, ET VITAM ÆTER- NAM POSSIDEBIT. — Nota in singulis hisee membris poni conjunctionem disjunctivam *aut*, quia lo- quitur Christus non de iis qui ipsum sequentes relinquunt omnia, sed de iis qui aliqua duntaxat abdicant propter se et Evangelium, ait Marcus, ut scilicet Evangelii doctrinam, leges et sanctiones observent : ita Origenes, S. Hieronymus, Mal- donatus et alii; licet S. Chrysostomus seors sentiat, putetque hie idem a Christo promitti ceteris fidelibus, quod paulo ante promisit duo- decim Apostolis, q. d. Omnes fideles, qui idem fecerunt quod duodecim Apostoli, scilicet ut, omnibus relicti, me sequantur, eandem hono- rem recipiant, ac sedem unam et duodecim inter Apostolos nanciscantur, ac in ea judicabunt duo- decim tribus Israel. Verum prius, quod dixi, verius est, idque exigit disjunctivæ *aut*.

QUI RELIQUERIT DOMUM, — vel quia domo spoliatur, in exilium a tyranno, vel quia sponte domum relinquit ob scandala et tenta- tiones quas in ea reperit; vel quia relicta domo, confugit ad monasterium vel templum, ut totum se Dei obsequio mancipet. Idem dico de fratribus, sororibus, patre, matre, uxore, filiis : nam et hi, cum sunt infideles et improbi, fidelem a fide vel probitate avocare satagunt : unde si uxor vitium a fide et pietate avocet, snadet Christus ut vir ab ea faciat divortium, satius enim est dese- rere uxorem, quam Christum; sponte vero eosdem

relinquunt, qui perfectioris vite studio ad religionem sinistra confugiunt. Et hoc significat « propter nomen meum, » id est propter me, mei amore et reverentia, ut mihi melius et plenius serviat, seseque totum mancipet.

CENTUPLUM ACCIPIET. — Græco *ἑκατοντάχολος*, id est centuplicis, scilicet singula, ut oro una domo, quam Christi causa reliquit, recipiat centum; pro uno fratre, sorore, filio, patre, matre, recipiat centum fratres, sorores, filios, patres, ma- tres, Syrus, unum in centum, scilicet auctum, et cum centuplo fenore multiplicatum. Sic et Ægyptius, Arabicus, Æthiopicus, Persicus, qui fere inter se consentire solent, præsertim Æthio- picus cum Persico, et Ægyptius cum Arabico, ut hie ex illo traductus videatur. Ægyptii enim primitus a S. Marco, S. Petri discipulo, conversi, Evangelium acceperunt. « Centuplum » ergo, id est plura, et multis partibus majora. Unde Lucas habet « multiplicata, » ponitur enim numerus definitus pro indefinito, ut magnitudo et multitu- tudo mercedis significetur.

Quæres, quodnam sit hoc « centuplum » iis qui sua pro Christo relinquunt, ab ipso promissum? Primo, Chlilaste, sive Millenarij, per centuplum intelligunt mille annos, quibus hi Sancti post communem resurrectionem in terra hae delibabuntur, omnique voluptate fruuntur. Verum hie est error, quem confutavit Apoc. XX, illique repugnat Marcus, x, 31, dicens : « Accipiat centies tantum nunc in tempore hoc. » Audi S. Hieronymum : « Ex occasione hujus sententia, quidam introcunt mille annos post resurrex- tionem, dicentes : Tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimissimus, et vitam æternam esse reddendam; non intelligentes, quod si in cæle- ris digna sit reppromissio, in uxoribus appareat turpitudine, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. »

Secundo, S. Gregorius, hom. 18 in *Ezech.* : « Cen- tumplum, inquit, recipiet, quia Deus faciet, ut talis multo magis gaudet paupertate, aut rerum suarum abdicacione, utpote amore Christi facta, quam divites gaudent omnibus suis opibus et commodis. Idque revera ita fieri experimur ii qui pro Christo suis se abdicant. »

Tertio, S. Hieronymus, Beda et alii centuplum accipiunt in bonis non temporalibus, sed spiri- tualibus, puta in pace, gaudio, consolacionibus divinis, cæterisque donis et gratis, quibus Deus eos mulet et cumulat, que longe magis superant omnia terrena bona et gaudia, quam numerus centenarius superat unitatem. Verum quia Marcus particulatim explicans « centies tantum, » sub- dit « domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros; » hinc :

Quarto, et magis genuine Origenes, Theophy- lactus, Euthymius, Cassianus et Francisus Lu- cas centuplum exponunt sic, quod relinquens sua et suos propter Christum, Christo proce-

Centu- plum quid, Resp. Primo.

Secundo.

ante, inveniat alios centum, id est parvos, qui illi amorem, opem et curam fratrum, uxorum et matrum longe majori charitate et suavitate impendant, ita ut non res suas amisisse, vel reliquisse, sed in Christi providentia deposuisse, ibique magno fenore multiplicasse videatur. Suaviores enim sunt affectus spiritus, quam natura; et magis amat pollens amore celesti, quem conciliavit pietas, quam imbutus amore terreno, quem adjunxit nativitas. Quare, qui unam domum pro Christo relinquit, centum et plures priorum domos invenit ipsi paratas et apertas; quae ipsum amanter et gaudenter excipiant. Experiuntur hoc sacerdotes, et qui e domo sua fugiunt ob persecutionem in Japone, Anglia; Scotia: hi enim omnium fidelium domos ad hospitium promptas reperiunt, ac de domo in domum crebro commigrant. Sic religiosus, qui unam patris domum pro Christo relinquit, centum invenit non domos, sed collegia et monasteria maxima et pulcherrima, quae ipsum ex affectu materno excipiant. Sic, qui unum agrum pro Christo reliquerit, centum Christi cultorum agros inveniet, et quibus alatur, idque sine suo labore et cultura, cum summo colere debuerit. Similiter, pro uno fratre relicto, plurimi erunt Christiani instar fratrum fraterno ipsum amore prosequentes, et spiritali glutino suavius adherentes; pro una sorore, plurimae adolescentulae casti diligunt, observanturque ut fratrem; pro uno patre, senes plurimi tanquam filium fovebunt; pro una matre, matronae plurimae affectu materno necessitatibus illius prospicient; pro una uxore, centum aliorum uxores, casto spiritu ipsi conjunctae, paratae erunt per se aliosque servare valetudini commoditatibusque illius, non secus quam si forent uxores illius; denique pro filio aut filia una, innumeri reverebuntur eum ut patrem, et ab ejus doctrina sana consiliisque pendebunt, ex quibus majorem illius animus accepturus est voluptatem, quam acciperet ex germanis liberis. Hoc est quod ex Salomone ait S. Augustinus, *epist. 89, Quæst. IV*: «Fidelis totus mundus divitiarum est.» Audi Cassianum, *Collat. ult.*, cap. ult.: «Centuplum fratrum, patrumque, parentumque recipit quantitatem. Quisque patris unius, vel matris, seu filii pro Christi nomine charitate contempta, in omnium qui Christo serviunt dilectionem sincerissimam transit, pro uno sollicito toti patres, fratresque ferventior ac prestantior sibi affectu devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione dilatatur, quisquis una domo pro Christi dilectione rejecta, innumera monasteriorum habitacula, tanquam propria possidebit in quacumque orbis parte, velut in sua domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum, et si Domini nostri sententia superadjici aliquid fas est, plusquam centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida et coactata dereliquentes, tot

ingeniorum atque nobilium spontaneo fultore obsequio?» Experti sunt hoc centuplum Apostoli, et primi Christiani in fervore primitivae Ecclesiae, de quibus ait Paulus: «Nihil habentes, et omnia possidentes;» et Lucas, *Act. iv, 32*: «Nec quisquam, inquit, eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia;» et mox: «Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum: dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.» Id etiam expeririunt boni religiosi; quod si quando secus accidat, et cuiquam aliquid corpori necessarium desit, tunc Deus defectum hunc corporalium supplet, et compensat copia spiritualium donorum et gaudiorum.

Exemplum illustre est in Peregrino philosopho, qui finxit se esse Christianum, ac ut talem in persecutione obtulit se Praesidi et carceri, ut opem et opibus Christianorum et succurrerent frueretur: nec eum fefellerit opinio, ibi enim certamine Christianis illi sua offerentibus, suffraginatus auro impostor in patriam rediit, uti fusa narrat Lucianus in *Peregrino*, et ex eo Baronius, anno Christi 75, cap. vii.

Denique S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, littera *chet*, sive octonario 8, per centuplum accipit ipsum Deum, ac consequenter totum mundum, qui est Dei peculium. Deus enim is qui omnes et omnia propter se relinquit, est pater, mater, uxor, frater, soror et omnia, *Matth. xii, 49*: «Quoniam, inquit Ambrosius, qui omnia reliquerit, Deum possidere incipit, et ipse merces utique perfecta virtutum, qui non centupli enumeratione, sed perfectae virtutis aestimatione censetur.» Afferit etiam exemplum Leviticae tribus, quae quia Domini jussu nullam inter alias tribus terrae partem habuerat, ideo Dominus ipse illa promisit et sapiens confirmavit se ejus partem et possessionem fore. Unde haec aurea gnome concludens, subjicit: «Cui portio Deus est, totius possessor est natura. Pro agris ipse sibi satis est, habens bonum fructum, qui non possit perire. Pro domibus satis est sibi, ut sit habitatio Dei et templum Dei, quae nihil potest esse pretiosius. Quid enim pretiosius Deo? Ea est portio quam terrae partes aequare non possant. Quid magnificentius hospite celesti? quid beatus possessione divina?» Et Cassianus, *Collat. ult.*, cap. ult.: «Pro hereditate, inquit, illa, quam in unius agris ac domus possessione qui habuit, centuplo majore divitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem transiens filiorum Dei, universa, quae aeterni sunt Patris, ut propria possidebit, et affectu atque virtute ad imitationem veri illius filii proclamabit: Omnia quae habet pater, mea sunt, nec jam cum ulla penali distensionis aut sollicitudinis cura, sed securus ac laetus velut in propriis ubi quoque

Exemplum Peregrini

Centuplum est Deum.

succedit, audiens quotidie ab Apostolo sibi predicari: Omnia vestra sunt, sive mundus, sive praesentia, sive futura; et a Salomone: Fidelis viri totus mundus divitiarum est.» Haec ergo est congrua et condigna merces paupertatis, ut nihil habens, nihil ei desit, sed omnia possideat. Id expertus S. Franciscus, atque ad eam exhortans: «Fili, inquit, charissimi, magna et inenarrabilia sunt erga nos Dei nostri beneficia, qui adeo flectit erga humiles et inutiles servos suos oerda fidelium. Ex acceptis quotidie accipienda speremus: si parva videntur concessa, adjiciet majora, dum in divinorum mandatorum observantia perstiterimus. Jactate ergo cogitatum vestrum in Domino, et ipse vos eruet in monte hoc (Alvernia), qui Eliam in deserto, Antonium et Paulum in eremo nutrit. Illa, certissime scitote, nullum nobis relevandae necessitati securus esse refugium, quam nullum habere. Si enim veri et Evangelicis fuerimus pauperes, mundus nostri misererebit et affluente non pascet. Si autem a paupertate defecerimus, mundus nos fugiet et indigentias illicito modo repellentes, majores patiemur penurias.» Ita refert Waddingus in *Annal. Minorum*, anno Christi 1212, numer. 14. Addit Marcus, x, 30, centuplum hoc reddendum «cum persecutionibus:» quod quomodo fiat, ibidem dicam.

Tropologie: Cassianus, loco jam citato, centuplo majus gaudium conversorum esse asserit de virtute, quam fuerit antea de cupiditate et vitio: «Si, inquit, pro ira et furoris perturbatione, jugem animi lenitatem; pro sollicitudinis ac distensionis angore, securitatis quietem; pro infructuosa hujus seculi penaliique tristitia, salutaris tristitia fructum; pro vanitate laetitiae temporalis, gaudii spiritualis appenderis ubertatem, retributionem in horum affectuum commutatione centuplum pervidebis.»

Anagogice: S. Antonius, teste S. Athanasio in *ejus Vita*, per centuplum accipit regnum caelorum, in quo centuplo majora sunt bona, quam sint in terra: «Qui totius orbis dominium reliquit, inquit, centuplum de melioribus praemiis in sublimi sede recipiet.» Pro caducis enim reddentur ei stabilia, pro vilibus eximia, pro parvis magna, pro terrenis caelestia, pro humanis divina, pro momentaneis sempiterna.»

ET VITAM AETERNAM POSSIDEBIT. — Syrus, hereditate possidebit; Arabicus, haeres fiet vite aeternae; g. d. qui suam hereditatem, aequae ac suos paritate et zelo predicandi similissimos. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Thomas, Franciscus Lucas et alii, ac Victor Antiochenus in cap. x *Marci*. Dicit autem «multi,» non «omnes,» quia aliqui hie sunt primi, qui et in caelo erunt primi, uti sunt sancti reges, principes, doctores, Episcopi, Pontifices, qui, licet opibus abundent, tamen pauperes sunt affectu et spiritu; ac viceissim aliqui hie sunt novissimi, qui et in caelo erunt novissimi,

bona in Deo possidebunt, non quasi usufructuarii, sed quasi heredes et domini hereditate perpetua et in aeternum, quamdiu Deus erit Deus, duratura. Haec omnia significantur et involvuntur in vita aeterna. Porro, hanc vitam aeternam obtinebunt omnes qui servant Dei mandata, ut dicit Christus, vers. 17; plenius tamen et gloriosius eam obtinebunt, qui praecipis addidere consilia: unde eis solis Christus hic illam promittit et assignat. Quae phrasi tacite innuit difficile esse vitam aeternam consequi per observationem solum praecceptorum, sine observatione consiliorum; quia illa sine hac est difficilis. Difficile est enim servare omnia Dei praecipia, nisi serventur et consilia praecertim paupertatis: nam, ut ait Christus, vers. 23, difficile et quasi impossibile est divitem salvare.

30. MULTI AUTEM ERUNT PRIMI NOVISSIMI, ET NOVISSIMI PRIMI. — Nota apposite Christum hanc sententiam praecedentibus a se dictis subjungere: nam ipse hoc capite bene totum proponit se, suamque gratiam et consilia Evangelii, Pharisaeis et legi veteri; unde consequenter hic opponit premium illius praemio hujus, ut patet cap. sequenti; proprie autem respicit illa, quae immediate ante dixerat de sedibus duodecim iudicariis, de centuplo, de vita aeterna dandis suis sequacibus; ac videtur occurrere tacite objectioni Apostolorum. Poterat enim ipsi intra se cogitare: Qui fieri poterit, ut nos viles, pauperes, ignorantia, ignobiles sedeamus super duodecim thronis, iudicantes duodecim tribus Israel? in quibus sunt viri plurimi dignitate, opibus, nobilitate, scientia, fama, auctoritate eminentes, uti sunt Scribae et Pharisaei, et adolescens ille dives et sp. audius, simul ac legis observator, de quo vers. 13. Occurrit Christus, asseritque illos quidem in hoc saeculo esse eminentes et primos, sed in caelo et vita aeterna fore novissimos, id est nullo loco habendos, sed ab ea rejiciendos et excludendos (simili phrasi dicit, cap. v, 19): «Qui solverit unum de mandatis istis minimis, etc., minimis, id est nullus, vocabitur in regno caelorum;» ac novissimos hic vocari a regno caelorum remotissimos, patet ex *Luca*, xii, 30, eo quod Christus quasi pauperem aspernati sint; Apostolos vero aliosque similes, qui relicti omnibus secuti Christum in hoc saeculo videbantur esse pauperissimi et novissimi h. a. inum, in vita aeterna fore primos, utopie Christo caelorum regi charissimos, et in vita ac moribus, praesertim in paupertate et zelo predicandi simillimos. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Thomas, Franciscus Lucas et alii, ac Victor Antiochenus in cap. x *Marci*. Dicit autem «multi,» non «omnes,» quia aliqui hie sunt primi, qui et in caelo erunt primi, uti sunt sancti reges, principes, doctores, Episcopi, Pontifices, qui, licet opibus abundent, tamen pauperes sunt affectu et spiritu; ac viceissim aliqui hie sunt novissimi, qui et in caelo erunt novissimi,

Multi primi novissimi, et novissimi primi.

Haec est vita aeterna.

ut sunt pauperes et mendici; qui furis, rapinis alisque sceleribus incumbunt, ut suam inopiam levent, fiantque divites et opulenti.

Summa hæc gnomo significat Christus divites et eos qui bonis terrenis inhiant, a celo excludendos; pauperes vero, qui cœlestia ambiunt, in celo fore primos. Respicit enim ad id quod dixit adolescenti diviti, vers. 21: « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo. » Et, vice versa, ad illud vers. 23: « Dives difficile intrabit in regnum colorum. » Et an illud Petri, vers. 27: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? » Sic Christus in celo est primus, quia in terra fuit nobilissimus, juxta illud Isaiæ, LIII: « Vidimus eum, et non erat aspectus; et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum. » Vide ibi dicta. Proxima Christo est B. Virgo, quia post Christum inter homines fuit novissima; sequuntur Apostoli, de quibus ait Paulus: « Puto quod Deus nos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus. » Et mox: « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsa usque adhuc. » I Cor. iv, 9 et 13. Sic de S. Martino, cujus hodie festum celebramus, canit Ecclesia: « Martinus Abrahæ sinu lacte excipitur, Martinus pauper et humilis celum dives ingreditur, hymnis celestibus honoratur. » Visa est cuidam viro sancto sedes sublimis et gloriosa in celo, ac miranti ejusnam illa foret, audivit: « Hæc sedes

Christus novissimus primus.

humili servatur Francisco. » Ita habet ejus Vita.

Denique multi Patres et Doctores Scholastici, quos citabo cap. seq., vers. 1, rō « novissimi et primi » præcipue accipiunt in ipsa vita æterna, q. d. Divites, qui in hac vita honestam sed commodam egere vitam, servantes duntaxat præcepta Dei (qualis fuit adolescens ille, vers. 21), in celo erunt novissimi; pauperes vero, qui præceptis adjungere consilia Evangelicæ, ac in paupertate evangelizando secuti sunt Christum, hi in celo erunt primi: de quo plura cap. sequenti. Amplior et plenior, omniaque, quæ in sequenti parabola dicuntur, adæquans erit sensus, si rō « novissimi » utroque modo accipias, scilicet ut significet tam excludendos a celo, quam novissimos in celo. Nam Apostoli, qui quasi primi judicabunt duodecim tribus Israël, quasi novissimos, multos ex iis, utpole justos, adjudicabunt celo, plures tamen, utpole injustos, inferno. Porro hanc gnomen: « Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi, » Christus explicat persequentem parabolam operatorum ad vineam excolendam conductorum, capite sequenti. Hæc ergo gnomo est parabolæ, id est titulus et argumentum illius parabolæ, cui subnectitur ista postparabolæ, sive scopus et applicatio parabolæ, cap. xx, vers. 16: « Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » Unde liquet postparabolam respondere ex æquo parabolæ, imo unam idemque eum illa esse: « electi » ergo vocantur primi, « vocati » vero duntaxat, nec electi, vocantur novissimi.

## CAPUT VIGESIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, proponit Christus parabolam operatorum conductorum ad colendam vineam, e quibus novissimi vocati sunt primi in mercede et premio. Secundo, vers. 16, prædicit suam passionem. Tertio, vers. 20, Jacobo et Joanni ambientibus primas sedes in regno Christi proponit calicem passionis, docetque majorem esse eum qui cupit esse minor. Quarto, vers. 30, duos cavos illuminat.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4. et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, et novam horam, et fecit similiter. 6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis. Quid hic statis tota die otiosi? 7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. 8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. 9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem ad primas, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos dena-

rios. 11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, 12. dicentes: Illi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. 13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, et vade; volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 17. Et ascendens Jesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secretè, et ait illis: 18. Ecce ascendimus Hierosolimam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, 19. et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertio die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem ait: Quis scit quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicit ei: Possumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; 27. et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. 29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. 30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret; et clamaverunt, dicens: Domine, miserere nostri, fili David. 31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. 32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

Vers. 1. Parabolam patrifamilias condensationem operario- rum in vineam suam.

1. SIMILE EST REGNUM CÆLORUM HOMINI PATRIFAMILIAS, QUI EXIIT PRIMO MANE CONDOCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM. — « Simile est, » similiter agitur in regno colorum, perinde ac si herus conduceret operarios in vineam suam; nam aliqui præcipue et proprie regnum cœlorum non ipsi patrifamilias, sed ejus domui et familie simile est, vide Canonem 28. Ut totam hæc parabolam paucis verbis genuine et clare explicem:

Notandum est scopum illius esse ut per eam probet Christus ultimam propositionem capituli præcedentis: « Multi erunt novissimi primi, et primi novissimi; » Christus enim hanc propositionem immediate præmittit parabolæ, quasi parabolam, sive titulum parabolæ; ac rursum eandem ipsi subjungit quasi postparabolam hic, vers. 16. Unde quidam codices Latini sic habent: « Simile est enim. » Scopus ergo Christi hic est ostendere ex Dei gratia, et sine ulla injustitia, vel cujuspiam injuria fore, ut qui hic primas tenere visi sunt, in die novissimo postremas teneant, et qui hic postremas, ibi primas: hoc est ut Apostoli et abjecti fidei sequaces Christi in regno cœlorum Scribis et Phariseis præferantur, ac Gentiles credentes in Christum præponantur Judæis, qui primo tempore Abrahæ, Jacob et Moysi vocati fuerunt a Domino ut primas in regno Dei, id est in Ecclesia tam militante in terris, quam triumphante in cœlis, obtinerent; sive filios novi Testamenti, presertim Apostolos in quodædam sedibus sesuorum in die judicii antefendos esse filios veteris Testamenti, qui sub umbris legalium sacrificiorum, ceremoniarum et figurarum laboriosissime serviebant; quia scilicet hi legi et operibus præfati, falso ex illis hoc Dei regnum sibi arrogabant, ideoque Christum Christique fidem repellabant, unde merito a regno hoc excluderunt; illi vero Christo ejusque fidei et gratiæ, quam longe Judæis usque adeo acceperunt, humillime se subdiderunt, et serventerque illi cooperati sunt, ideoque Judæis prælati, et præ illis electi sunt ad gratiam, æque ac ad gloriam. Hinc esse scopum patet. Primo, ex parabolâ, et ex ipsa parabola, ejusque clausula, sive postparabolâ, vers. 16: « Multi enim sunt vocati, pauci